



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome
Controuersiarum Omnium huius Aeui
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis
Quadripertitis digestarum**

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiae, 1624

XLVII. An homo post lapsum sit liberi arbitrij, in rebus ad salutem
pertinentibus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11726

VI. DE VIRIBVS LIBERI ARBITRII IN Supernaturalibus.

QVÆSTIO XLVII.

An homo post lapsum sit liberi arbitrij in rebus ad salutem pertinentibus?

LVTHERS lib. Operationes in Psalmos. Error est, quod liberum arbitrium habeat aliquam aſſiuitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur. Velle enim, credere, sperare, diligere. &c. semper est passio. Quid aſſiuitatis habet luterum, quando sigulus ei formam effingit? Nonne mera passio ibi cernitur?

KEMNITIVS in Exam. scilicet 6. Erubuit ad hanc absurditatem dicens, dandam Luthero veniam; quod initio conuerſionis retineret phraſes Scholaſticorum; cum nihil in re errarit illud. *Voluntas em passio nō concurrere, intelligens esse, non liberè concurrere.*

LVTHERANI omnes ab Lutheri sententia deſciuerunt, cumque **CALVINO** Inst. 2. c. 2. §. 27. & cum Calvinistis duo aſſerunt.

I. Voluntatem nostram nil ſpiritualis boni efficere poſſe abſque ſpeciali auxilio Dei. Rectè: At falſò communi Scholaſticorum ſententia tribuunt, quod Iolus Caſſianus & Fauſtus olim opinati ſunt; ſc. bona deſideria in homine, licet debilia præcedere gratiam.

2. Voluntatem noſtram in ſpiritualibus ſic agi à Deo, vt non poſſit non agere; & vt actiue concurrat, tamen ceu merum inſtrumentum naturale; non vt cauſam liberam, actiue ſui dominam.

Ideoque negant rectè dici, Eam cooperari Deo, adiuuari à Deo; ſed ſolum agi, cogique.

SCHARPPIVS in cūſu Theol. tit. 16. c. 4. de lib. arb. Homo ad ſui regenerationem ſe merè paſſiue habet, vt Deum operantem non ſequi non poſſit; licet non coacte, ſed ſponte ſequatur. Homo quidem non regenitus liberum arbitrium habet; ſi liberum pro ſpontaneo ſumas. At ſi liberum ſumatur pro eo, quod in vtraque parte ferri poſſit, ad bonum, vel

malum; liberum arbitrium non habet, ſed peccato ſeruū. Quia hæc libertas poſt lapſum proſus amiſſa eſt: cum non poſſit non gratiam reſpuere, & malum tantum eligere liberè, id eſt, ſponte: Et contra Renati.

SVADENT iſtis. 1. Ezech. 36. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Spiritum meum ponam in medio veſtri, & Faciam, vt in Præceptis meis ambuletis.

2. Pſal. 50. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum in noua. &c.

3. Pſal. 99. Ipſe fecit nos; & non ipſi nos.

4. Ioan. 6. Omnis, qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me.

5. Et 2. Cor. 3. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis.

6. 1. Cor. 12. Qui operatur omnia in omnibus.

7. Phil. 2. Qui operatur Velle & Perſicere pro bona voluntate: hoc eſt ſimpliciter facere, non adiuuare.

8. 1. Ioan. 3. Qui natus eſt ex Deo, non poteſt peccare: quia ſemen Dei manet in eo. Calvinus: Ecce ſic efficaciter gubernari diuinitus piorum corda, vt inſexibili affectu ſequantur.

9. Ioan. 5. & Eph. 2. 5. peccatores dicuntur mortui, ſepulti: quòd niſi per ſolam Chriſti gratiam ſuſcitari nequeant.

AVTOR. Affirmatiua reſponſio eſt ſimpliciter deſide.

I. Sic Scripturæ 1. Quæ vocant homines cooperatores: 2. Quæ præcipiunt, Suadent. &c. 3. Quæ docent homines à Deo adiuuari: 4. Vocatos à Deo venire poſſe, aut emanere. Vide in noſtro *Antichriſto* p. 4. q. 28.

II. Sic Eccleſiæ Traditio & communis S. Patrum conſenſus.

III. **RATIO.** Quia ſi homo non ſit liberi arb. ſequentur hæc abſurda.

1. Non peccabunt nolentes credere, cauere peccata, agere benè.

2. Nec laude, præmioue digni erunt volentes credere conuerti. &c.

3. Fru-

3. Frustra erunt præcepta, monita. &c.

4. Omnis diligentia erit tollenda; ac in solam fidem incumbendum: cætera cessandum esset.

Dico Ad I. Liberum arb. nec est carneum, nec lapideum; sed vis media & naturalis, quæ formam vtriusque potest induere. Ita *Aug. l. de spir. & lit. c. 33.*

Ad II. Cor mundum creati est cor mundari.

Ad III. Litera agit de prima creatione: Dein & de iustificatione capitur: Ipse enim iustificat nos.

Ad IV. *Venit* sic ut possit non venire: *Venit* autem sequens vocantem non coactè.

Ad V. Cum non sumus sufficientes, ergo aliquid possumus.

Ad VI. Operatur omnia; sed non sine nobis cooperantibus.

Ad VII. Neque excitat, nec iuuat Velle nostrum sine nobis: vnde ait: *salutem vestram operamini.*

Ad VIII. Semen non est gratia Dei necessitas ad operandum, ut vult Caluinus; sed charitas infusa, ait *S. Hieron. l. 2. contra Iovin.*

Ad IX. Id probat, peccatorem sine gratia reuiuiscere non posse: at non probat, peccatorem non posse, præueniente gratiâ excitatum, cooperari suo resuscitatori.

QVÆSTIO XLVIII.

Qua, & qualis sit Cooperatio Gratia, & Liberi arbitrij?

Orthodoxæ hinc doctrinæ syno-

psin reddere pretium erit.

I. Processus renouationis Christi-anæ est septigradus.

1. Homo gratiâ destitutus iacet.

2. Vocatione Dei interna excitatur.

3. Huic assentiens eligit pœnitentiam.

4. Opera facit pœnitentiæ.

5. Sic disposito gratia iustificationis infunditur.

6. Iustificatus statuit opera iustificationis exercere.

7. Exercet ipsa.

II. Homo ante omnem gratiam pollet libero arb. ad Naturalia, Moralia, & Supernaturalia: teste *S. Aug. l. de Spir. & lit. c. 33.* Quia lib. arb. non potest Dari, Tolliue per gratiam, aut peccatum: Nam libero arb. possumus benè malèue vtis; at gratiæ donis nemo malè; peccato nullus bene vti potest. *Non tolli potest*; quia gratia perficit naturâ; peccatum debilitat, non extinguit eam.

2. Habet igitur ante gratiam homò *Potentiam remotam & imperfectam* ad opera pietatis. *Aug. l. de prædest. c. 5. Possè habere fidem, & caritatem natura, est hominum.*

3. Atque idcirco nihil ex se facere ad salutem potest. Ita *Aug. li. 1. Retract. c. 22. In potestate hominis est, mutare in melius voluntatem; sed ea potestas nulla est, nisi detur à Deo; ut scriptum: Dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

KEMNITIVS. Homo habet vires, Aut aliquas; ergo poterit aliquid sine Deo, contra *Ioan. 5. Sine me nihil potestis*: Aut nullas; ergo extinctum est lib. arb. & cooperari gratiæ nequit.